






A. P. NAHUYS

A. L. M. Philosophiæ & Medicinæ Doctoris

ORATIO


De Quæstione illa: Utrum Uroscopus ex sola Urinæ inspectione Morbos quorumvis Ægrotantium rite detegere, iisque ex Arte mederi possit.

PUBLICE DICTA

HARDEROVICI

IN AUDITORIO MAJORE;

Die 30 *Junii* MDCCLXI.



ACADEMIÆ DUCATUS GELRIÆ ET COMITATUS ZUTPHANIÆ CURATOR, VIR GENEROSISSIME.

MAGNIFICE RECTOR, VIR CELEBERRIME.

REIPUBLICÆ HARDEROVICENÆ VIRI CONSULARES AMPLISSIMI, GRAVISSIMI; QUIQUE GRAVISSIMIS A SECRETIS ES, VIR SPECTATISSIME.

DIVINARUM AC HUMANARUM SCIENTIARUM PROFESSORES, VIRI CELEBERRIMI, ERUDITI ORBIS LUMINA SPLENDIDISSIMA.

DIVINORUM ORACULORUM IN ECCLESIA HARDEROVICENA INTERPRETES FIDELISSIMI, FACUNDISSIMI.

QUARUMLIBET SCIENTIARUM ET ARTIUM DOCTORES ATQUE MAGISTRI, CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, ACUTISSIMI.


GYMNASII VELAVICI MODERATORES VIGILANTISSIMI.

PARANYMPHOI CARISSIMI, AMICI CONJUNCTISSIMI.

CUJUSLIBET DENIQUE LOCI, ORDINIS, ATQUE DIGNITATIS AUDITORUM, SIVE NATALIUM SPLENDORE, SIVE HONORUM TITULIS, SIVE STUDIORUM MERITIS INSIGNIUM, EXOPTATISSIMA CONCIO.

VOS TANDEM GENEROSI JUVENES, MUSIS SACRATA PECTORA, HACTENUS COMMILITONES SUAVISSIMI, EXOPTATISSIMI.

ORA-



ORATIO.

HOminum primos Adamum & Evam a SUMMO NUMINE perfectiſſimos fuiſſe creatos, Sacræ nobis teſtantur Paginæ; ita ut æque ad Mentem ac Corpus feliciſſimo fruerentur ſtatu; Mens enim lucidiſſimis veritatis radiis continuo illuminata perfectam poſſidebat cognitionem, longeque remoti erant omnes Animi tranquillitatem perturbantes affectus; ſumma in Corpore aderat ſanitas, abſolutiſſima omnium actionum integritas, neque mali ulla cupido. Eleganter hinc de eximio illo ſtatu Poëta cecinit:

Nullus erat dolor Mentis, non ſemina Morbi,
Pallida non facies, peſtis, non venter aquarum
Turgidus, aut querulo ſquallebant Corpora morbo;
Ubera vaccarum trepidabant pecora metu;
Vipera non lædens, non fallax herba veneni;
Molli perpetuo flavebat campus ariſta;
Et duræ quercus ſudabant roſcida melle
Plus quam Saturnina. .... Regna.

Utinam autem remansissent in felicissima vitæ conditione! ast, proh dolor! vix fructus beatitudinis gustaverant, quin jam jam ab ipsa privarentur, Diabolo enim plus quam Deo credentes turpiter lapsi fuerunt, factumque cum Deo fœdus inhoneste violarunt, eo effectu, ut ab omnibus donis, privilegiis & prærogativis, a Summo Numine benignissime largitis, in totum orbarentur.

O atra dies! O tristissimus Protoplastorum lapsus! O deploranda & nimis temeraria Præcepti Divini violatio! Tu mille pedissequas habes ærumnas, Hominibusque adeo funesta evadis, ut, dum antea Animus divina præditus erat cognitione, summaque tranquillitate fruebatur, nunc densissimis ignorantiæ tenebris sit occœcatus, innumerisque Animi sedationem interpellantibus vexetur cruciatibus; ut, dum antea summa in Corpore aderat sanitas, nunc millenis ærumnis ac ægritudinibus, imo & ipsi pallidæ morti obnoxium evaserit. Non immerito hinc quidam Poëta miseram Humani Generis conditionem sequentibus depinxit versiculis:

Cor

Cor nisi cura nihil, Caro nil nisi triste cadaver.
Nasci ægrotare est, Vivere sæpe mori.

Imo & ipse Sacer testatur Codex: *Quod Homo de Muliere natus, brevi vivens tempore, multis repleatur miseriis.* Hinc & illud Democriti dictum: *Totus Homo ab ipso ortu Morbus est.*

Luctuosa itaque est fatalis nostra conditio, prima enim luminis aura vix fruimur, quin vitam cum morte commutare jam incipiamus, corpus enim inevitabili vitæ effectu continuo magis magisque semet ipsum destruens, innumeris morbis ansam præbet, iisdemque incuratis, inevitabili morti.

Non sufficit itaque A. O. O. H., ut sinistram tantummodo doleamus sortem, verum etiam necesse est, ut mala nostram ruinam minitantia, quantum fieri poterit, avertamus, ut ægritudines & morbos, Humanum corpus hostiliter invasuros, præveniamus, ut auxilia quæramus, quibus mediantibus eosdem jam natos tuto jucunde & cito curemus, radicitus exstirpemus, aut, insanabiles si fuerint, palliemus; hoc nisi fiat, brevi de Humano Genere actum fore

Hypsea cœcior esse deberet, qui hoc videre non posset.

Hæc autem adeo exoptata auxilia Nobilis Machaonia Ars abunde suppeditat, hanc si perscrutamur, inexhaustum remediorum fontem in ipsa detegemus, infinitas insuper inveniemus recte medendi regulas, verasque remediis utendi Methodos, nec non morbos præveniendi scopo Prophylaxes, ut sic sanitatem tueamur nostram, eamque læsam restituamus, aut, ne in deterius ruat morbus, præveniamus, ut tuto, jucunde & cito quibusvis medeamur afflictibus, Hominibusque pristinam vitæ restituamus integritatem.

O Nobilem itaque Medicinam! O Divinam Apollinis Artem, quarumvis ægritudinum, morborum, affectuum & ærumnarum Expultricem! O Sacram Anchoram! O amœnissimum Portum, ad quem, ut pallidæ mortis phalanges subterfugiamus, tutissime confugimus!

Quis itaque adeo vesanus esset, ut, per momentum licet, Nobilitatem Tuam, Præstantiam atque Necessitatem in dubium revocaret? Quis ad Te addiscendam noctes diesque impendere recusaret? Quis non om-

nia

nia tentaret, ut Te edoctus infelici Mortalium Generi succurrere posset? Quis non ambabus, ut ajunt, ulnis Te amplecteretur ut Ægros cum morte luctantes, fatoque jam jam succubituros ab Orci quasi faucibus revocare valeret? Quis non......?

Sed quid opus, ut Te, infinitis insuper amœnitatibus delectabilem, ulterius commendem?

Ne autem credatis A. O. O. H., omnem Medicinam Humano Generi æque salutarem esse censendam; quam utilis enim, quam salubris, quam necessaria Humano Generi hæc sit censenda Scientia, si a peritis, Artemque bene edoctis excolitur Medicis, tam noxia, tam pestifera, tam perniciosa eadem hæcce evadit Scientia, si ab imperitis & illotis tractetur manibus.

Utinam vero justissima dolendi non esset causa! quod his temporibus, quibus tanta lux nostræ affulsit Scientiæ, tot ignari, tot imperiti reperiantur homines, Medicinam exercentes, Medicorum nomina adoptantes, ita ut merito depravato huic seculo adaptari possit sequens Distichum:

Fingit se Medicum quisquis Idiota, profanus,
Judæus, Monachus, Histrio, Tonsor, Anus.

At vero, quod nomen illis tribuendum, aut quam notam potius inurendam existimabimus; qui sola Urinæ inspectione, neglectis reliquis morborum Criteriis, quosvis morbosos affectus detegi posse gloriantur, quodque pejus, ulla absque cognitione remedii, quod Ægro assumendum propinant, Praxin suam exercent.

Quum itaque hodie Solemnis est ille Dies, quo Publice verba facere cogitaveram, non inutile, neque injucundum fore putavi, si veris Dogmatibus superstructam a vanis Uroscoporum jactationibus vindicarem Medicinam, in examen scil: revocando quæstionem illam: *Utrum Uroscopus ex sola Urinæ inspectione Morbos quorumvis Ægrotantium rite detegere, iisque ex Arte mederi possit*; Nihilque ineptius, nihilque magis absonum hisce nugis excogitari posse demonstraturus.

Utinam autem concinno ordine rem pertractare valerem! Utinam aptus essem Vestros in consensum trahere Animos! Ast cum considero ingenii mei tenuitatem; cum perpendo parcam admodum & vix nominandam Doctrinæ supellectilem; cum animo volvo Publice Dicendi imperitiam; cum deni-

nique oculos verto in tantam Doctorum Coronam, nil nisi docta proferre & audire solitam, Animus me derelinquit, Pedes vacillant, Cor palpitat, Hypochondria constringuntur, Lingua tremet, totumque Corpus Panico Terrore concutitur, duramque Publice Dicendi Provinciam imbecillibus haud imposuissem humeris, nisi Vestra Benevolentia fretus, eamque hodie jam bis expertus A. O. O. H. tanta moliri ausus fuissem. Benevolos itaque animos, ac faciles mihi præbeatis aures, Juvenemque Oratorem Vestra prosequamini Benevolentia, oro, precor.

Humor inutilis, excrementitius, in renibus a sanguine secretus, per ureteres ad vesicam delatus, ex eadem per urethram ex corpore expulsus, Medicis Urina dicitur.

Urina hæc sanitatis tempore excreta colorem habet amœne citrinum, cum lævi albicante in medio natante nubecula, simulque aliqualem ingratum spirat odorem.

In morbis autem varia urinæ contingit mutatio, sive ratione Quantitatis, sive Qualitatis, sive Sedimenti, sive Eorum, quæ urinæ permiscentur.

Hoc quum observavere Veteres, sedulo in id

id incubuerunt, ut, ex variis urinæ inductis mutationibus, varias morbosas in corpore factas detegerent mutationes, ut sic in posterum, hisce notatis, morborum signa ex urina petere possent. Hinc orta est urinæ in morbis inspectio, atque signa ex eadem depromta, ceteris juncta, tanquam certissima fuere habita.

Optimum licet illud fuerit Veterum institutum, ansam tamen dedit pessimis in Arte erroribus, quæstuosi enim homines, nobili Veterum instituto abutentes, ex sola urina, omissis ceteris signis, quasvis morborum caussas detegi posse præ se tulerunt, sicque nata est, summo cum Hominum damno, pessimo cum Artis detrimento, infamis Uromantia.

O pessimus rerum optimarum abusus! O nefanda avaritia, qualia tui amoris caussa ab hominibus inhonesta, qualia impia perpetrantur scelera! Videamus autem, videamus, utrum decantata illa Uromantia tam certa sit, quam inepte multi sibi aliisque persuadere cupiunt. Videamus, inquam, utrum quævis urinæ inducta mutatio certum & unicum in corpore nascendum vel natum præsagiat morbum. Sane nullo modo.

De

De Quantitate lis esse nequit, quum non omnis, quæ per Nycthemeram excernitur Urina, offertur Uroscopis, verum aliqualis tantummodo portio, quæ eorumdem satisfacit vaticiniis.

Ad Qualitatem vero magis attendunt, illique tanquam firmæ basi magnam Uromantiæ partem superstruunt Uroscopi.

Videamus autem, utrumne basin illam subvertendo totius ædificii ruinam procurare possimus. Excernat itaque, ut cum colore incipiam, V. G. quis urinam pellucidam, subviridescentem, ullo absque sedimento. Quid ex hoc conspecto colore concludet Uroscopus? Si omni privatus fuerit, uti plurimi sunt, Medicinæ peritia, nihil; sin aliquali ejus cognitione instructus, forsan judicabit, salsum acrem tali in Ægro prædominare humorem, adeoque illum Muriatica laborare Acrimonia. Verum licet hoc esse possit, non tamen sufficiens morbi habetur cognitio; uti enim per totam humorum massam dispersus hærere potest humor, sic & eodem modo diversa metastasi ad varias corporis partes deferri poterit, varii itaque particulares morbi, iique satis graves, & periculosi inde causabuntur.

Si

Si enim ad Caput deferatur acris illa materia, pessima inde ac intolerabilis producetur Cephalalgia, nascetur Vertigo, ipsa Apoplexia, imo Convulsiones brevi lethales.

In Collo si præcipue suam ludit tragœdiam, molestissima orietur Angina, dolorifica Tussis, ingrata Raucedo.

In Thorace copiose præsens causabitur Asthma, Dyspnœam, Anxietatem, Suffocationem, imo ipsam pulmonalem Phthisin.

Ad Abdomen si magna copia confluxerit humor, enormes Colici inde producentur Dolores, Tormina vix toleranda, Borborygmi, Flatus, Alvus liquida & constipata, Dysenteria; in viis Urinæ Ischuria, Stranguria, Dysuria, molestissimus utriusque Tenesmus.

In toto Corpore oberrante materia, vagi producentur Dolores, summa totius Corporis Emaciatio, & lenta Hectica Febris.

Ad Corporis Superficiem delata, Pustulas, Maculas, Herpetes, Excoriationes, Ulcera, imo infinita alia producet mala.

An nunc ex sola urina valebit Uroscopus dignoscere Partem præ ceteris affectam, in qua maxime hæc acris materia suam ludit

tragœdiam? Hoc ſane nemo facile credet; licet enim in urina revera talia adeſſent Criteria, quanta requireretur Memoria ad conſervanda illa Criteria! Quanta Attentio ad ea dignoſcenda! Longe hoc Humanum ſuperat Intellectum.

Objiciet forſan Quis, non neceſſariam eſſe illius Metaſtaſeos cognitionem, ſolamque hujus materiæ in corpore noviſſe præſentiam ſat eſſe Medenti. Reſpondeo minime; quicunque enim ſolummodo morbos ſtatim recenſitos attenta contemplatur mente, videbit ilico, non eadem hic locum habere poſſe Medicamina, differre autem illa quam maxime debere pro varia Parte Obſeſſa, interna nempe vel externa, magis vel minus principe, ſuperiore vel inferiore. Sic magnum diſcrimen erit, utrum Caput afficiatur, utrum vero Brachium. In priore enim caſu, ſi periculoſa producantur ſymptomata, iſtius materiæ derivationem ad aliam partem principem cauſari, ipſiuſque evacuationem promovere conabimur, veſicatoria ſcil: cruribus atque pedibus, nec non cervici applicabimus, ſternutatoria, maſticatoria præſcribemus acria, purgantia propinabimus valida,

ut

ut iis omnibus mediantibus humori acri e Capite procuretur exitus; dum Brachio inde male affecto longe minorem remediorum adhibemus pompam, eaque alia iterum præscribimus forma, inungimus nempe illud remedio stimulante, nervino, anodyno, non præscribemus hic purgantia, verum potius diaphoresin sollicitabimus.

Sed non tantum differre debent remedia pro Parte Obsessa, verum etiam pro Periculo, in quo ex læsa Partis Functione versatur Aeger, sic V. G. si tanta copia acris hujus materiæ intra Pulmones delata fuerit, ut inde lethalem metuamus suffocationem, venam secabimus, eamque largam, ut minuendo humorum copiam & impetum symptomatum levamen adferamus Aegro, Nobisque aptum materiæ expellendæ tempus & occasionem suppeditemus. Maxime ceterum hoc in morbo nocet venæ sectio, præterquam enim, quod ea mediante non valeamus omnem acrem ex corpore expellere humorem, insigniter insuper vitalem minuimus motum, spontaneam itaque promovemus humorum degenerationem, ipsamque proin morbi causam fovemus. Ex binis au-

tem unum erat eligendum malum, quod itaque minus nocivum, pejori præferendum, suffocato enim Aegro, frustra esset omnis cura.

Quum itaque ex solo urinæ colore Uroscopi locum præ ceteris affectum detegere nequeunt, nec, ad quem primarius curandi scopus sit dirigendus, indicare morbum, nullo modo requisita quoque præscribere possunt auxilia.

Ne autem hæc nimis temeraria videantur dicta; urina enim flavissimo colore tincta certissimum Icteri præsentis exhibet signum, si scil: linteum ipsi immersum eodem tingatur colore, acceptumque colorem aqua elui haud patiatur; verum quidem est, illum hoc in casu (si tantam habuerit Medicinæ peritiam) locum affectum detegere posse, Icterus enim numquam nisi ex hepate morbose affecto suam originem trahit; sed quid hoc novisse prodest? Quomodo suam instituet curam? Unicam enim Icterus non agnoscit causam, verum valde variantem, imo oppositam, Calculus, Inflammatio, Spasmus, Hepatis Obstructio, similiaque Icterum producere apta sunt. Quid itaque

aget? An diligenter examinando urinam, causam quoque detegere potest? Me Hercule! tanta in urina recondi mysteria, & neminem præter Uroscopos ea detegere posse, vehementer dubito.

Sed quanto ludibrio, ad colorem urinæ attendens, se non exponeret Uroscopus, si quis, ipsius capacitatem experiundi cupidus, largo aquæ epoto haustu, sanam, sed tenuem & fere excolorem offerret urinam, illeque talem non tantum ægrum, verum speciatim Mobilitate, Passione Hysterica, vel Hypochondriaca laborare diceret, quod facile contingere posset, in morbis enim his nominatis, & ab hominibus sanis, post copiosum potum aquosum omnino similis excernitur urina.

Præterea, quot non sunt res, sive medicamenta, sive alimenta, quæ corpori ingesta urinæ colorem conciliant varium, quorum ignarus Uroscopus, suo cum damno, suæ cum artis detrimento, turpissime hallucinari posset.

Nihil itaque ex solis urinæ Coloribus judicandum.

Neque Odoris unica consideratio majorem

rem adferet utilitatem. Quanta enim morborum caterva, in quibus putidus V. G. odor occurrit? In omnibus ſcil. Acutis, ſive Inflammatoriis, ſive Eryſipelatoſis, in putredinem & colliquationem tranſeuntibus. Obſervatur etiam in Bilioſis Putridis Autumnalibus, quorum cura tamen maxime differt. In Prioribus enim remedia ſunt præſcribenda antiſeptica leniter ſtimulantia & cardiaca, reſolventia vel adſtringêntia, prout humorûm adeſt tenuitas vel craſſitudo. In Poſterioribus autem eadem quidem eſt obſervanda differentia, remedia vero debent eſſe refrigerantia, motum minuentia, prioribus itaque contraria. Obſervatur etiam ſæpiſſime in calculoſis affectibus, diriſſimaque Iſchuria veſicali, lotio diu in veſica retento, ſtagnatione corrupto, peſſimamque nullo modo dignoſcendam contrahente mephitim.

Quomodo jam, quæſo? Uroſcopus unam ab alia dignoſcet urina? Omnibus in caſibus intolerabilis idemque prorſus adeſt fœtor, ſane difficultatibus gravibus involutus, ſe extricare haud poterit.

Uti nunc neque Color neque Odor quid certi in detegendis morbis exhibent, ſic neque

Consistentia quid luminis affundet Uroscoporum jactationibus. Rei veritatem probant dicta de colore, vidimus enim ibidem, urinam tenuem, excolorem, æque observari in homine sano, imo robusto, post copiosum assumtum potum, quam in Hystericis tenellis fœminis. Veritatem quoque ostendit urina cruda, crassa, quæ observatur tam in debilitata ventriculi & intestinorum actione, cibos non bene subigentium, non bene coquentium, quam in debilitata pulmonum vasorumque actione, chylum allatum non bene præparantium, vel in bonum sanguinem convertentium. Quot autem sunt causæ, quæ ansam dare possunt ventriculi & intestinorum debilitati? Nonne amissus nervorum, ad partes illas vadentium, vigor, humorum saponaceorum defectus, eorumdemque depravata qualitas, solidarum partium inertia & languor, immodicus cibi potusque usus, & quæ non aliæ? Quot pulmonum vasorumque debilitati? Idem ille amissus nervorum vigor, eadem illa solidorum inertia & languor, spasmi, tumores, excrescentiæ, obstructiones, indurationes partium quarumdam, in pulmone contentarum, vel extra eundem ja-

jacentium. Quum vero cruditas hæc, pro varia producente causa, diversam medelam postulat, quumque constat, in urina variam illam non indicari causam, multo minus ipsius remedium, sponte patet, Uroscopum ex sola urinæ Consistentia paucos posse exspectare usus.

Primum jam, ut puto, subvertimus Uromantiæ Fundamentum, nunc secundam ipsius Basin, non minus firmam, demoliri debemus, ut sic sensim magis magisque vacillans Uromantiæ Ædificium tandem penitus prosternatur. Oculos nempe conjiciamus in Sedimentum, ad fundum vasis urinam continentis collectum, & videamus, quot, quantaque ex diligente ipsius contemplatione in Uroscopum redundent bona, paucissima sane. Idem enim in diversis morbis occurrens varium omnino præsagium exhibet; nam sedimentum album, æquale, leve, copiosum, in morbis Acutis, benigne non resolutis, sed critica evacuatione materiam morbosam ex corpore expellentibus, optimum præbet signum: indicat enim vasa distenta & infarcta depleri, ac relaxari, humores concretos incipere solvi, motumque prius in-

insigniter auctum imminui, adeoque egregium & saluberrimum ostendit Naturæ conamen.

Paucum contra si esset, magnam materiæ morbosæ quantitatem in corpore retineri, atque imperfectam fieri Crisin indicaret, vel motum adeo esse validum, ut mediante critica evacuatione morbus terminari nequeat, adeoque ipsius transitum in purulentiam, vel putredinem, esse metuendum, periculosam itaque imo sæpe lethalem exhibet Ægri conditionem.

In Chronicis vero, licet supra indicatas habuerit qualitates, & copiosum prodierit sedimentum, pessimum exhibet signum, indicat enim insignem in corpore latitare materiæ morbosæ copiam, generalem humorum massam corruptione esse infectam, adeoque longævitatem & difficillimam morbi curam.

Paucum contra si prodeat cum virium incremento, sanitatis recuperationem instantem esse denunciat.

Copiosum quoque sedimentum, licet purulentum, si observetur in Acutis in purulentiam conversis, saluberrimum censendum erit, indicat enim, vires vitales sat esse valentes, ut purulentam illam materiam ad

Or-

Organa urinæ derivare, eorumdemque ope a ſanguine ſeparare poſſint, ita ut ſpes ſuperſit, fore, ut brevi omnis purulenta materia expellatur, Ægerque priſtinam recuperet ſanitatem.

Idem autem illud contingens in Phthiſicis, ingentem puris ſcaturiginem, magnam pulmonis partem eſſe ſuppuratam, inſigniter deficere patique debere humorum præparationem, ſummam totius corporis emaciationem, ingentem virium jacturam, morbumque inſuperabilem ac lethalem eſſe declarabit.

Quomodo autem, quæſo? Uroſcopus jam dignoſcet, utrum urinam, in qua copioſum eſt ſedimentum, malam vel bonam pronunciare debeat? Quonam criterio pus hominis, morbo Acuto ſuppurato laborantis, dignoſcet a pure Phthiſicorum nondum corrupto? Quonam criterio ſedimentum ſaluberrimum in principio Acutorum prodeuns diſtinguet ab illo quorumdam Chronicorum? Nullo ſane, verum aqua hic ipſi hærebit.

Uti vero ſedimenti Quantitas nihil ad vaticinandum confert, ſic nec ipſius Qualitas docent hoc morbi, in quibus idem non raro occurrit ſedimentum, prorſus diſtincti; al-

bum enim ſedimentum, uti vidimus, in principio Acutorum, cum virium incremento, morbique levamine prodeuns, optimum Naturæ conamen exhibet, Ægrique ſalutem denunciat; in Catharroſis vero, aliiſque Chronicis malis, ſæpius magnam acris materiæ copiam in corpore hoſpitantem denotare ſolet, malumque præſagium præbet.

Eodem modo cum ceteris ſedimenti coloribus res ſeſe habet, exhibent enim, pro varia Ægri conditione & ſtatu, ſaluberrima Naturæ conamina, vel ipſam minitantur mortem.

Ad Qualitatem porro ſedimenti, ſive Generalem, ſive Specialem, ſi oculos convertamus, incerta ſemper inde facta manebit indicatio; ſic V. G. æquale ſedimentum in genere quidem bonum coctionis præbet ſignum, & morbi levamen, tum ſcil:, ſi tale ſedimentum obſervetur in morbis coctione indigentibus, aut in quibus materia cocta per urinam commode ejicitur, ſic conveniet in morbis Acutis, in Pectoris morbis, aliiſque. In morbis vero Chronicis, Catharro, Acrimonia Myriatica, Nitroſa, ſimilibuſque, materiam ſuam cum levamine non ita per urinæ vias expellentibus, bonum non

ex-

exhibebit indicium, non ita Æger inde levabitur, verum multo vehementius sævire incipiet aliquando morbosa materia.

Sed quæstio jam iterum est, quomodo dignoscere possit Uroscopus unum ab altero sedimento, quum una eademque fronte sese offerunt? Sane nullo modo se extricare valens scientiæ suæ infirmitatem agnoscere tenebitur.

Huc usque de binis præcipuis Uromantiæ egimus fundamentis, de Qualitate nempe Urinæ, ejusque Sedimento, brevibus adhuc videamus de illis, quæ urinæ non sunt naturalia, sed morbose ipsi permiscentur. Inter hæc occurrit sæpissime Sanguis, hunc quum conspexerint Uroscopi, periculosum denuntiabunt Ægri statum, eumque Mictu Cruento laborare dicent. Sed hoc ipsi norunt homines, Uroscopi! ex hoc vestro dicto non meliora sapiunt; nisi quod morbi periculum jam forsan magis timeant. Sed undenam vestrum periculi criterium? Quænam est morbi causa? hanc ignoratis, & tamen de Ægri statu judicatis; O ignari! ut cœci de coloribus, sic vos de morbis judicatis. Et quomodo opem feretis Ægris Mictu Cruento labo-

rantibus? Alia enim eſt inſtituenda cura, ſi oriatur ex laxatis, & vi laxitatis ampliatis renalibus tubulis ipſos rubros ſanguinis globulos tranſmittentibus; Alia in eodem ex abuſu Diureticorum vel Emmenagogorum orta; Alia in eodem, ex ſanguinis velocitate & impetu ad organa uropoietica auctis, nato; Alia in eodem ex calculo, in viis his hoſpitante, aſpredine ſua vaſa dilacerante, producto; Alia in humorum Attenuatione, ſive Chronica, ſive Acuta. Horum omnium ignari eſtis, imo, licet has cognoſceretis cauſas, attamen illas, quum ex urina detegere haud poteſtis, tollere inepti eſtis.

Ad morbos ſolidarum partium ulterius ſi progrediamur, reſpicio præſertim Chirurgicos; quonam criterio unquam dignoſcetis hominem laborare Schirrho, Lupia, Struma, Ateromate, Steatomate, quomodo Oſſa Fracta vel Luxata, Vulnera, Contuſiones, Ulcera, Puſtulas, Maculas, Tubercula detegetis? Non enim ſanguini materiam communicant, quæ inde ope renum ſecerni poterit, omnibuſque illis in morbis ſaniſſimæ ſimilis urina excernitur.

Præterea ſi perpendamus, urinam inſigniter

ter mutari abusu Rerum Sex non Naturalium, imo & ipso victus ac remediorum usu, quidni & in diverso morbi, imo diei tempore excreta tantum differre potest, ut, si ex urina esset judicandum, longe alium crederemus adesse morbum.

Huc usque, ni fallor, A. O. O. H., satis ex rigidissimo urinæ examine constitit, illam nullatenus sufficere solam morborum caufis detegendis, sed fallacia esse illa, quæ de sua scientia tam inepte garriunt Uroscopi. Veritatem illam millenis insuper specialibus comprobare possem exemplis, ex quibus evidenter pateret, nihil urinæ inspectionem collaturam ad curam felici cum successu instituendam, sed omnes adhibendas esse ingenii dotes, ut, quid agere debeamus, prudenter concludamus. Unum itaque pro omnibus sufficiat exemplum: Laboret V. G. quis Podagra, atroces in pede vel manu patiatur dolores, sed ilico liberetur ab iisdem, partesque detumescant, ingentes patiatur in thorace loco doloris anxietates; quid genuinus Dogmaticus inde concludet Medicus? Nonne periculosam materiæ podagricæ thoracem versus esse factam metastasin, summum

mum adesse vitæ discrimen, & ancipitem Ægri conditionem judicabit? Prudenter itaque secum reputabit, quid in ancipite hoc casu sit agendum, indicantia contraindicantibus opponet, amborumque valorem ponderabit, &, quod præponderabit, adhibebit; venam itaque secabit, licet Podagræ nocivam, ut, ea mediante, forsan Ægri vita prolongetur, & apta nascatur occasio ingerendi remedia; propinabit Diaphoreticum, non tamen multum stimulans; partes detumefactas laxari, simulque stimulari curabit, tentaturus, utrum hisce remediis morbosa materia priora loca versus derivari possit. Omnia autem hæcce celerrima mentis determinatione, summa tamen cum prudentia peragi debent; requiritur itaque judicium perspicax ac promtum ad, quid faciendum sit in casu hoc ancipite, bene ponderandum & dignoscendum; si vero tanta hic requiritur prudentia, tanta judicii promptitudo & perspicacia in Medico Ægrum præsentem habente, omnia symptomata morbi observante, atque ad eorum incrementum aut decrementum probe attendente, quantum tum requireretur in homine, qui ex sola urina hæc omnia dignoscere

de-

debet, ingenium! Quanta perſpicacia! Sed quomodo, quæſo? Uroſcopus, qui ne quidem noſcit, Ægrum Podagra laboraſſe, unquam materiæ podagricæ metaſtaſin thoracem verſus ſuſpicabitur? Niſi quis adeo veſanus eſſet, ut crederet, præteriti æque ac præſentis morbi criteria in urina contineri ſingulaque iterum diſtincta, ita ut, quid præſens, quid præteritum, quid futurum ſit, certo ſingulis characteriſtico ſigno dignoſcere poſſit Uroſcopus. Quis ſana mente præditus unquam his nugis fidem tribueret?

Sed objicient forſan; Licet urina ad noſtros ſenſus in diverſis morbis eadem appareat, ſe tamen dignoſcere poſſe characteriſticum illud ſignum, quo unus ab alio diſtinguitur morbo, in quacunque cujuſvis morbi urina, etiamſi aliis heterogeniis obvolutum, reperiundum.

Reſponſio autem ad talem nimis frigidam objectionem eſt in promtu: Largiamur modo & concedamus ipſis pro tempore, ſigna cujuſvis morbi, ejuſque cauſæ, in urina eſſe reperiunda, non tamen inde ſequeretur, ea ab Uroſcopis detegi poſſe, minime Gentium; ut enim ſigna in urina certum Ægri ſta-

tum

tum indicantia dignoſcantur, in anteceſſum noviſſe neceſſe eſt quævis non tantum morborum nomina, verumetiam cauſas quaſcunque morbos producere aptas, effectus, qui in ſingulis obſervantur morbis, mutationes denique, quas quidam morbi ſubeunt per omnia eorum ſtadia, curam tandem omnibus horum morborum ſingularibus cauſis adaptatam & ſelecta hunc in finem requiſita remedia, eorumque bonam pro diverſa Ægri ætate, conſtitutione, temperamento, idioſyncraſia, ſimilibuſque aliis, adminiſtrationem, adeoque requiritur intima & perfecta Medicinæ cognitio, ut ſigna in urina certum morbum indicantia, dignoſci poſſint.

Quis autem adeo veſanus eſſet, ut crederet, hæc omnia ſibi perſpecta habere Uroſcopos? Credat hoc Judæus Apella, ego non. Non enim tam facile addiſcuntur hæc omnia, neque tam brevi temporis ſpatio, quam ab ipſis addiſcitur Uromantia. Præterea, ſi ad ipſas attendamus Perſonas, Uromantiam exercentes, abſurditas rei ſua ſponte patet; Sutores enim, Barbitonſores, Texores, Hiſtriones, Laniones, ſimiliſque farraginis homines ordinario eſſe ſolent, qui, vel præ pigritia

Fa-

fabricas suas delerentes, vel fama & bonis privati, in Uromantia exercenda inanem, Herostrati instar, famam sibi comparare cupiunt.

Sed præterea, undenam didicissent illam ex urina vaticinandi artem? An eadem ipsis est innata? An vero per Experientiam, aut alium quemcunque modum sibi comparaverunt nobilem illam scientiam?

Prioris absurditas sponte patet. Posterioris vero falsitas demonstratu haud difficilis est; si enim per Experientiam didicissent, quot tum non miseri, in quibus id experiri deberent, eorum ignorantiæ culpa supremum obiissent diem! Prima enim vice incertum præscribere debuere remedium, quod æque malum ac bonum potuit habere effectum; neque altera vice certius præscribent remedium, similis enim, uti vidimus, in oppositis morbis excreta urina, semper incertum, & periculosum reddet eorumdem experimentum. Præterea, licet per totum vitæ decursum suam exercuissent artem, quotidie tamen novi ipsis occurrerent casus, quorum similes nunquam observaverant antea, quorumque nullam proin cognitionem per Ex-

pe-

perientiam hactenus adepti erant, una enim hominis ætas omnibus experiundis non par eſt; periculoſum itaque & incertum ſemper maneret eorum vaticinium; per Experientiam ergo Uromantiam addiſcere non potuerunt.

Neque aliunde ipſius cognitionem haurire valuerunt; non enim publicas adierunt Academias, imo licet illas adiiſſent, non tamen ibidem ab omnibus Eruditis damnatam docti fuiſſent Uromantiam. Neque tales etiam exiſtunt libri, qui certa & indubitata hujus artis fundamenta continentes, ipſis viam præmonſtrare poſſunt.

Unde ergo tam ſtupendam nacti ſunt ſapientiam? Forſitan Deus ipſis miranda talia revelavit arcana? Ne jocum me facere putetis, Auditores, reperiuntur ſane tales profani, qui, vanam ſuam ex urina prognoſticandi artem Divino inſtinctu ipſis eſſe revelatam, dicere haud verentur. O temeraria, impia & nefanda aſſertio!

Si enim Divino inſtinctu artem ſuam edocti eſſent, procul omni dubio vitæ ac morum integritate aliis antecellerent, contrarium autem docet experientia, nihil enim

nim minus quam pietas, quam relligio, quam morum integritas Uroscoporum cura est, e contra quam plurimum pessimæ Atheorum Sectæ addicti, vitam plane irrelligiosam, imo bestialem agere solent.

Præterea, nunquam in fundendis suis oraculis decipi possent, sed semper eventus eorum comprobaret vaticinia, contrarium vero millenis Miserorum comprobari posset querimoniis, qui, & ratione solutæ pecuniæ, & mali promissorum eventus, ab ipsis decepti fuere.

Præterquam, quod hodie, dum Evangelium ipsique superstructa Fides & Relligio, per Miracula in principio confirmanda, nunc firmiter sunt stabilita, tales DIVINÆ Revelationes jam dudum aboleverunt.

Sed forsitan aliud iterum habebunt effugium, Diabolum ipsos ex urina vaticinandi artem docuisse, dicentes; ast vehementer dubito, utrum Diabolus, cujus potestas, post Christi mortem & in cruce Triumphum, multum est refrænata, talia efficere possit. Verum licet & his præstandis idoneus censeretur, nonne absurdum & contradictorium esset, Ens illud maledictum, Tyrannum toti

Humano Generi quam maxime infestum; Hostem juratum & implacabilem, simul concipere bonum, amicum & in nostram salutem quam maxime proclivem, sane crediderim potius, eum, si posset, totalem Humani Generis procuraturum interitum, quam quod quicquam boni in ejusdem salutem moliretur.

Ex supra indicatis itaque, ni fallor, clarissime constat, Uroscopos nequaquam possidere sive Naturalem, sive Supranaturalem Scientiam, qua mediante ex sola urina Ægrotantium morbos detegere possunt.

Hæc si vera, uti verissima sunt, multi Vestrûm A. O. O. H., forsan mirabuntur: Unde tanta eorum fama; Unde tam mirabilia, quæ ab ipsis narrantur elocuta vaticinia; Undenam & contingat, ut morbos, pro inexpugnabilibus habitos, feliciter aliquando curent.

Ad triplicem itaque illam quæstionem singulatim respondebo, & quidem primo ad illam quæstionem; Undenam nempe tantam adepti fuerint famam Uroscopi: sane non aliunde, quam quod pessimi illi homines, Uromantiæ exercendæ operam navantes, ipsos

ſos adeuntes, eorumque opem poſtulantes, ex plebe præſertim natos, ſua argutia decipere facile potuerint, multum de ſua ſapientia ratiocinando, magnam verborum vix intelligibilium ſeriem de Ægri ſtatu & conditione explodendo, hyſteron proteron inter ſe invicem permiſcendo: unde ignarum vulgus, corticibus inhærere, nucleumque intactum relinquere conſuetum, ſtupendam Uroſcopi ſapientiam miratum, mox ipſi ſolemnes, Apollinis inſtar, honores conferre, ejuſque ſummam ingenii aciem, & omnium captum ſuperantem doctrinam ubivis extollere ſolet, unde brevi per omnem urbem divagatur fama Viri tanta eruditione præditi, ut quoſvis ibidem loci degentes Medicos longiſſime ſuperet. Non parum & ad famam ejus amplificandam confert, ſi homines ex meliore ſtirpe progeniti, ignorantis vulgi clamori fidem habentes, ipſi tali utantur Uroſcopo, præſertim, ſi forte fortuna morbum, quo Æger laborat, conjiciendo detexerit, vel inter vaticinandum (hoc enim ſufficit) quid huic morbo ſimile recenſuerit, tunc mox fama ejus adeo celebratur, ut niſi humanum poſſideret corpus, Deum aliquem

e Coelo missum putarent homines.

Obstupescite, Auditores, ignarus Barbitonsor momento temporis in Apollinem conversus, O mira Metamorphosis!

Secundam quod attinet quæstionem: Unde tam mirabilia ab ipsis elocuta vaticinia suam originem trahant, nunc indicabo, ut autem hoc eo felicius procedat, insequamur quadratum V. G. Rusticum, Divinum illud Oraculum consulturum. Mox, quum intravit cubiculum, ubi sedem suam tenet Uroscopus, eum rusticorum more absque ulla verborum pompa salutat, Ægrotique tradit urinam, supplexque Vatis precatur auxilium. Uroscopus, fronte setosa, allevatis superciliis sub urinæ inspectione sæpius caput huc illuc agitat, & non raro ex imo suspirat, utrum quid hisce gesticulationibus ex rustico elicere possit visurus, quod etiam contingit sæpius, rustico enim, hisce visis, satis abunde constat de impostoris incomparabili doctrina, unde, antea licet statuæ instar immobilis ac mutus, nunc hoc illudve ipsi excidit verbulum, quod Uroscopo mox occasionem loquendi exhibet, recensere itaque varios, licet toto cœlo discrepantes, incipit morbos,

il-

illudque ſymptoma, quod Ruſtici ore imprudenter excidit, ultimo recenſet loco; mox Ruſticus, fulmine quaſi ictus, abruptis fatetur verbis, in omnibus verum fuiſſe locutum Uroſcopum, atque plenarie nunc ſummæ ipſius eruditionis perſuaſus, lubenter ipſi debitam ſolvit pecuniam, domumque rediens jactatorem ad cœlum laudibus effert, eumque verum Prophetam eſſe denunciat, mirati omnes undiquaque divulgant, nugaſque illas tanquam vera deprædicant vaticinia.

Alii autem Uroſcopi alia iterum excogitarunt artificia, quibus homines decipere ſolent; vel enim ipſi colloquium ineunt cum iis, qui urinam ipſis examinandam offerunt, eoſque ſiniſtris quæſtionibus capere tentant, V. G. ut ſexum Ægrotantis detegant, ſolummodo quærunt, quonam tempore urinam excreverit Patiens; Ruſticus ex hac quæſtione nil mali ſuſpicans, ſexumque Ægrotantis recondere neſciens, illum vel illam hoc illove tempore excreviſſe urinam reſpondet; ex quo reſponſo ſtatim ſexus innoteſcit impoſtori; vel alii aliis utuntur fraudatoribus, qui ex hominibus, urinam adferentibus, omnia de Ægri ſtatu expiſcantur, interea temporis

dum abſens vel domi non eſſe ſimulatur Uroſcopus, dum tamen poſtea omnia ipſi vel narrantur vel ipſe eſt omnium verborum teſtis auritus, licet occultus. Quum domum jam veniſſe dicitur, intrat cubiculum, urinam ipſi oblatam quaſi ſumma mentis acie examinat, omniaque audita vel narrata ſumma cum magnificentia eloquitur verba; attonitus ruſticus, verba tam vera tam certa ab Uroſcopo proferri, Divinum in ipſo habitare Spiritum facile credit; O ſancta Ruſticorum ſimplicitas!

Neque & hic eorum fallaciæ finis eſt; nam et alios habent Fraudatores Ægrorum lectos viſitantes, omnia de morbo Uroſcopo ſufficientia obſervantes, illique fideliter communicantes, ſimulque urinam Uroſcopo examinandam offerri curantes, ſicque, ut in præcedente caſu, ex ſola urina vaticinari creduntur.

Hiſce artificiis utuntur Tyrones; qui vero in arte jam magis ſunt verſati, aliam adhibere ſolent methodum, illi enim non lubenter recenſent talia, de quibus Æger nunquam conqueſtus eſt, ideoque in generalibus ſolummodo verſantur terminis, & nunquam Ægri morbum vero deſignant nomine, ſed V.

G.

G. ajunt: Viſcera eſſe obſtructa, ventriculum non coquere cibos, alimenta converti in aquam vel pituitam, Vaſa lactea eſſe obſtructa, hepar eſſe combuſtum, acidum & acrimonias prædominare in ſanguine, ſanguinem pituita eſſe infectum, & abſque ſpiritibus, ipſiuſque fermentationes & efferveſcentias eſſe alienatas, abſcondita in corpore latere mala, & partes internas vel viſcera eſſe inflammata, ſuppurata vel ſphacelata, & quæ ejuſmodi farraginis alia ſunt, ſicque ſemper, hiſce generalibus proponendis, hominibus oracula illa audientibus, magnas ſuæ capacitatis & eruditionis ideas imprimunt, ſibique illibatam conſervant famam.

Imo infinitis aliis modis decipiunt homines, quos ſi recenſerem omnes, ne quidem dies ſufficeret, in genere hoc certum, & inſtar axiomatis tutiſſime ſtatui poteſt: Quo Quis fallendi magis peritus, eo melior eſt Uroſcopus.

Objiciat forſan quis Veſtrûm A. O. O. H., Uroſcopos interdum dare reſponſa tam vera, tam adaptata Ægri morbo, ut ne Delphicus Apollo quidem id emendare valeret, abſque quod ullam extraneam de morbo cognitio-

nem acquirere potuerint. Sane, ſi hoc procederet, ipſa vera eſſet Uromantia, hæcque res eſt, de qua noſtra verſatur quæſtio, & quod abſolute falſum eſſe ex antea dictis conſtare autumo. Si veritatis plane perſuaſi eſſe cupiatis, Auditores, cum urina Ægri manifeſto & omnibus noto morbo laborantis adeatis Uroſcopum, nihil dicatis, nullo modo ad Uroſcopi facta vel dicta naturalem faciei mutetis formam, & Uroſcopum vel alios vobiſcum confabulari volentes, ad urinam relegetis; tum miro modo mutatam videbitis ſcænam, ſudoribus diffluxurum præ anxietate Impoſtorem, nihilque niſi inconcinna quædam abſque ſano ſenſu verba prolaturum, Expertus Vobis Auctor ſum.

Expertus inquam, nuper enim in hac Urbe (cujus hiſtoriæ nemo Veſtrum, ut puto, ignarus eſt) mihi res cum tali jactatore fuit, qui quoſvis morbos ex ſola urina ſe detegere poſſe coram omnibus exclamabat; quam facile autem erat ipſum propriis dictis inſcitiæ ſuæ manifeſtiſſima monſtrare indicia, quam facile erat impudentem ipſius garrulitatem in altum convertere ſilentium, ita ut ne verbulum proferre auderet aut poſſet.

Data

Data jam ad binas quæſtiones reſponſione, tertia adhuc reſtat: Unde nempe fiat, ut aliquando morboſis affectibus, licet obſtinatiſſimis, opem ferant Uroſcopi. Conſiderate mecum, quæſo, Auditores, quod, ſi aliqualem habuerint, licet exiguam Medicinæ peritiam, & hunc illumve propriis vel aliorum argutiis detexerint morbum, ipſi tum quidem aliquando mederi poſſint, imo & obſtinatis caſibus, non enim Ægri vitam periclitari timentes heroica & validiſſime operantia præſcribunt medicamina, eo effectu, ut in quibuſdam, in quibus tantum virium ſupereſt, ut eorum effectum perferre poſſint, ſaluberrimum ſortiantur effectum; & revera hoc locum habere poteſt quibuſdam in caſibus, pertinaciſſimis ſcil: Viſcerum obſtructionibus, aliiſque Chronicis malis; multi vero his perferendis inepti, proh dolor! animam ante exoptatum remediorum effectum jam exſpirarunt.

Præterea omni morbi cognitione licet deſtituti fuerint, aliquoties tamen evenire debet, ut felicem in curando ſortiantur effectum, unum idemque enim eſt, quod ordinario præſcribunt remedium; plures autem exiſtunt morbi in quibus idem uſu venit

remedium, adeoque, quum omnis generis Ægri ipsos adeunt, non mirandum est, illos quoque Ægros aliquando curasse, licet illud eorum sapientiæ aut ex urina vaticinandi scientiæ non sit attribuendum.

Denique, si his addamus, quod sponte Natura morbum sæpe solvat, vel & alius superveniens morbus prioris remedium esse possit, uti suo tempore jam novit Hippocrates, facile liquet, cur quibusdam morbosis affectibus nonnunquam medeantur Uroscopi.

Ex his itaque omnibus A. O. O. H., nisi me omnia fallant, satis superque constat omnia Uroscoporum vaticinia, tot licet encomiis deprædicata, non nisi nugacia, & a veritatis tramite quam maxime aberrantia esse censenda, imo absurda & impia.

Dolendum itaque summopere est, multos reperiri homines, licet e meliore stirpe progenitos, (ignobilem enim & ignorantem non curamus plebem) attamen fidem his ineptiis tribuere haud dubitantes, dum potius optandum esset, ut, omnem ipsis denegando fidem, & Uromantiam, & ipsius cultores Uroscopos Patria exulare cogerent.

Quod autem magis dolendum, reperiuntur

tur nonnunquam Medici, qui, ut hominibus placeant, aliquando tales vanas amplectuntur ineptias. O animi humiles, Medicorum nomine indigni estis! Quocumque enim modo contemplantur Uroscopi, vel Fures et saccularii, vel Homicidæ sunt habendi. Si enim præscribunt remedia, quæ nec nocere nec prodesse possunt, sunt fures & sacculari, promittunt enim hominibus usu suorum remediorum salutem, dum de eorum inertia sunt convicti; si heroica præscribant medicamina, & Ægri inde suffocentur, homicidæ sunt.

Cujus ergo animus non abhorret a sceleratis & temerariis, imo nefandis Uroscoporum ausibus?

Quantum itaque, quantum bonorum Principum ac Magistratuum interest, ut felicitatem suorum Subditorum & Civium curantes, tales venenosos refrænent Uroscoporum ausus? Quanta hinc in Universum Orbem, in nostram Rempublicam, imo hancce Provinciam redundarent bona?

Ne autem credant, quod peritis, artemque bene edoctis fucum facere possint Medicis, ignarum decipiant vulgus, abeoque ut docti celebrentur; qui vero Artis salutaris prin-

ci-

cipia probe perſpexerit, eorum ineptias parum curabit, eoſque conſiderabit ut tales, Qui omni humanitate privati in Mortales quam maxime ſunt injurioſi; Qui tanquam tot ferarum phalanges, Humani generis interitum potius, quam ejuſdem ſalutem, minitantur; Qui, inito quaſi fœdere, in Hominum totalem ruinam conſpiraſſe videntur; Qui Hominum ſanitati conſulere præ ſe ferentes angue rabidoque cane pejus ſunt timendi; Qui.........

Sed me contineam, ne juſtus furor, ne æqua dedignatio meos affectus nimis vehementer moveat, præſertim, quum video, me Veſtris in animis A. O. O. H., eandem jam excitaſſe flammam, quod dum præſtitiſſe gaudeo, ampliſſimam laboris mercedem mihi reportaſſe videor.

Jam vela Orationis contrahere poſſem, niſi alia de cauſa me coactum ſentirem eadem adhuc parumper expanſa tenere; jubet enim pietas, jubet gratitudo, jubet & jucunda præteritorum recordatio, ut ad Vos Me convertam, Viri Clariſſimi, Medicinæ & Philoſophiæ Profeſſores, ut publice profitear, quanta in meum commodum, quanta in meorum ſtudiorum incrementum præſtiteri-

ceritis, utque debitas pro his omnibus in Me collatis beneficiis persolvam grates. Octo jam sunt præterlapsi anni, per quos Vestris fidelibus frui licuit Institutionibus, quibus Mihi sedulo inculcastis Medicinæ ac Philosophiæ fundamenta, optimam deinde ad ulteriores faciendos progressus præmonstrantes viam, nunquam defuistis illustrandis dubiis, vel auferendis difficultatibus nonnunquam obortis, sed facilem semper præbuistis aditum, nihilque Vobis jucundius fore, quam studiorum meorum incrementum promovere non tantum testati fuistis, verum & re ipsa comprobastis, omni enim modo sive in lectionibus publicis, sive privatis, sive colloquiis invicem habitis, non raro ostendistis, Me inter carissimos Discipulos non infimum tenere locum, Vestroque amore prosecuti fuistis, atque (honori duco) consortio Vestro haud indignum judicastis.

Quid itaque decentius? Quid honestius? Quid magis æquum? Quam quod pro tanta beneficiorum serie debitas referam grates; omnia enim, quæ scio, omnia quæ didici, unice Vobis debeo, Vestroque sub auspicio, Vestroque adjumento omnem, quam calleo, comparavi scientiam. Gratias itaque ago & habeo

maxi-

maximas pro tot tantiſque in Me collatis beneficiis, Meque horum omnium, dum memor ipſe Mei, dum Spiritus hos regit artus, memoriam ſempiterna benevolentia culturum, gratique animi teſtimonia exhibiturum, ſancte polliceor ſubnixe interim rogans, ut Vos, Viri Clariſſimi, qui Me tantis beneficiis affeciſtis, ulterius amore Veſtro complecti velitis, nihilque Mihi ſuavius, nihilque jucundius unquam futurum, quam inter Veſtros amicos numerari jurare haud vereor, a mea itaque parte omnia contribuere conabor, ut vinculum amicitiæ jam copulatum, firmius conſtringatur. Ceterum precor D. T. O. M. ut Vos, in bonarum Scientiarum incrementum, Ægrorum ſalutem, Academiæ ornamentum, Familiarum gaudium, diu incolumes ſervet, crudam largiatur Senectutem, & poſt corporis fata Vitam Sempiternam.

Ad Vos jam Me converto, Phæbo medenti ſacrata Pectora, & inter hæc præ ceteris, Paranymphoi cariſſimi, quorum conſortio & familiaritate Mihi per Academicum curſum frui licuit, Vobiſque, antequam publice teſtor, quam gratum illud Veſtrum Mihi fuerit conſortium, unicum, haud Ægre ferentibus, dabo conſilium, ut ſemper, ubicunque

que

que Terrarum unquam Praxin exercebitis, a pessima illa, ex sola urina Ægri morbum conjiciendi methodo, hodie non tantum inter Uroscopos, verum etiam quam plures Medicos, licet confirmata sancte abstineatis; audivistis enim, quam pessime hoc faciendo errare, Ægrum in vitæ periculum conjicere, imo ipsius mortem causare vel accelerare possetis. Quid autem indignius, quid magis nefandum, quam Hominem, inter omnia Divinæ Manus artificia eminentissimum, immortali Anima donatum, propria culpa interficere? Vos itaque, Generosi Juvenes, quibus meliora finxit præcordia Titan, abstineatis sedulo a pessimo tali artis abusu, ne conferatis Vos cum talibus infamia notatis hominibus, sed semper Dogmaticam amplectamini Medicinam, Rationalem nempe Experientia comprobatam, sic felicem semper & certam exercebitis Praxin, castum & tranquillum Vobis conservabitis animum, faustusque Vobis erit Deus.

Ceterum etiam Vobis maximas, quas possum, ago gratias, pro amicissima Vestra consortione, ex qua haud parvam Me in studiis promovendis accepisse utilitatem grate recordor, illamque diutius prolongare vellem,

lem, nisi, absoluto jam studiorum Academicorum curriculo, aliorsum tendere animus esset. Ne autem credatis, Me unquam, licet a Vobis remotum, obliturum esse blanda illa sæpius repetita colloquia, sociabile illud consortium, sed sæpius illa menti meæ obversabuntur, eique semper infixa manebunt; Vos itaque, ut eodem modo Me Vestra amicitia per omnem vitam prosequamini, etiam etiamque rogo. Supplex præterea DIVINUM NUMEN precor, ut in studiis Vestris ulterius excolendis Vobis adesse velit, longævam concedat sanitatem, Vobisque quævis bona benigna largiatur, quæ in Vestra commoda, & Proximorum emolumentum cedere possunt.

Tandem ad Vos, cujuslibet Loci, Ordinis, atque Dignitatis Auditorum exoptatissima Concio, Mea se vertit Oratio. Si qui Vestrum sunt, quorum familiaritatis honore, amicitiæ favore, consortionis deliciis Mihi frui contigit, gratias Vobis habeo referoque maximas, pro tot immeritis in Me collatis beneficiis, atque horum omnium memorem & gratum Vobis polliceor animum, SUMMUMQUE NUMEN pro Vestra sanitate, pro Vestra felicitate non raro defatigabo.

DIXI.





